



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica quinta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

Etitatis, & justitiæ , unam specialem vissi-  
tationem Sanctissimi Venerabilis insti-  
tuamus , & coram eo 33. Pater & Ave  
persolvamus expansis brachiis. Fili !  
quò proximior Jesu , eò remotior à pec-  
cato.

## Dominica V. post Pascha.

## EXHORTATIUNCULA I.

**P**ETITE, & dabitur vobis , non potest  
abstineere Deus , nec sese continere  
à nimia liberalitate ; perpetuò cupit be-  
nefacere. Ideò nos exhortatur , ut sine  
intermissione oremus , quia sine inter-  
missione vult dare , quomodo ergo irri-  
tum facimus votum Dei , & bonum no-  
strum , nihil petendo ? fili ! mendici su-  
mus Dei ; fiducialiter pulsemus ; & a-  
perietur thesaurus indeficiens. Magni  
Domini volunt rogari.

*Instructio meritoria.*

Verùm misereamur præprimis dilecta  
Matris , Romanæ Ecclesiæ , pro cuius  
stabilitate , & incremento recitabimus  
coram Sanctissimo Altaris Sacramento  
(tempore tamen opportuno) *Litanias*  
*de*

*de Omnibus Sanctis.* Amor erga Matrem probat filium.

## II.

**V**ultne amari à Patre Cœlesti? fili! ergò Christum diligat; quia ipse dixit: *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amatis.* Qui Christum non diligit, dispergit, dilecte! hunc solum teneat; cætera contemnat.

*Instructio meritoria.*

Ad impetrandum sæculi contemptum adeamus Cœmeterium, & post præviam transitoriarum vanitatum considerationem vesperas subjungamus ex Officio Defunctorum. Sepulchra inspice, & sapere disce.

## III.

**M**onet D. Paulus in hodierna Epistola: *Charissimi Fratres! estote factores verbi, non auditores tantum.* Non quid sciverit homo in via mandatorum Dei, interrogabitur in extremo judicio, sed quomodo eadem observaverit. Scienti bonum, & non facienti peccatum est illi! en! effatum S. Jacobi.

D

In-

*Instructio meritoria.*

Ut verò in accuratum & fidelem Di-  
vinorum mandatorum excrescamus exe-  
cutorem, in nostro cubiculo humiliter  
coram Crucifixo genuflectamus, & cum  
magna cordis compunctione persolva-  
mus : *Confiteor Deo Omnipotenti &c.*  
Sicque Jesu doloroso culpam nostram di-  
camus de omnibus nostris negligentiis,  
præsertim de tot omissis pretiosis virtu-  
tum variarum operibus, quæ debuisse-  
mus operari ex multiplici instinctu Spi-  
ritus Sancti, & non operati sumus. In  
fine addamus Psalmum *Miserere.* Pec-  
casti ? non erubet te humiliare.

## Dies Rogationum.

## EXHORTATIUNCULA I.

**P**uri, & mundi accedamus ad ora-  
tionem. Induamus nos meritis  
Christi, quæ nostra sunt : Nam illa no-  
bis commodavit. Per Jesum ergò ô fili !  
deprecetur Patrem, ut eò promptius  
moveatur ad dandam vobis petitam e-  
leemosynam. Anne minus misericos est  
Deus, quam nos miseri ?

In-

